



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

6. De Annunciata Pastoribus per Angelos. Christi Natiuitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

De annuntiata pastoribus per Angelos VI.
Christinatuitate.

I. **A** Eternus Pater ineffabili cum gaudio intuens tantam filij sui infantiles artus induti humilitatem, ad manifestandam mundo eius sublimitatem, & gloriam, destinat in terras certam Angelotum multitudinem, quorum unus splendens sibi ex aere assumentis corpus, Natiuitatem eius annunciat; non diuitibus, non sapientibus, non nobilibus, non delicatis mundi amatoribus, sed pauperibus, simplicibus, humilibus, laboribus assuetis pastoribus, qui propè turrim Heder, ubi Patriarcha Iacob gregem pauerat, uno non amplius milliari versus orientem à Bethlehem, pro suo grege excubabant.

Quām felices illi pastores, quibus exhibita est Angelica visitatio, & tanti mysterij facta reuelatio, præ tam multis alijs, de quibus D. Bernardus: *Quām Serm. 3^o multi nobiles secundum carnem, quām multi potentes, quām multi sapientes huius faculi hora illa in stratis mollibus quiescebant, & nemo eorum dignus habitus est nouam vide-re lucem, scire magnum illud gaudium, Angelos audire cantantes: Gloria in excelsis Deo.*

E 3

Quām

Quàm placet sapientiæ Dei incarnatæ
contemptus opum , honorum , delicia-
rum ! quem & exemplo suo probauit , &
in pastoribus Angelica visitatione com-
mendauit . Hunc in Christo & pastori-
bus studeat æmulari , quisquis cupit di-
uinæ consolationes experiri .

II. Et eccè Angelus Domini stetit iuxta
illos , & claritas Dei circumfulxit illos , & tu-
muerunt timore magno : & dixit illis Ang-
elus : Nolite timere , ecce enim euangelizo vobis
gaudium magnum , quod erit omni populo ,
quia natus est vobis hodiè Saluator , qui est
Christus Dominus in ciuitate David . Et
hoc vobis signum , inuenietis infantem pannis
inuolutum , & positum in præsepio . Quanta
illa benignitas Dei erga hos paupercu-
los pastores , quorum intellectum sic
illuminauit , ut crederent & agnolce-
rent esse illum verum Saluatorem mun-
di , Altissimi filium , Angelorum gaudi-
um , quem tunc audiebant , & paulò post
videbant , ceu pauperis matris filium in
præsepio iacere pannis inuolutum , tan-
quàm hominum opprobrium ; affectum
sic inflammauit , ut illum solum super
omnia amandum , illum desiderandum ,
quærendumque præ omnibus rebus
certo sibi persuaderent , nec querere
desisterent , donec inuenissent . Quan-
to

tò maior benignitas eiusdem Dei & Saluatoris nostri erga omnes, quos ex peculiari gratia cœundi illecebris ad statum perfectionis vocat, tam mirabiliter illuminando, tam efficaciter mouendo, tam suauiter trahendo, ut clarè agnoscant omnibus mundi lenocinijs amore Christi crucifixi esse sibi renuntiandum, idque quam primùm reipsâ præstare ardentissimè velint ac desiderent, nec quiescant, donec votorum suorum compotes facti, ad vexillum crucis euolent? Quò maior hæc gratia Dei & benignitas, eò maior pro eadem rependenda gratitudo, & in diuino seruitio alacritas.

III. Et subitò facta est cum Angelo multitudine militia cœlestis laudantium Deum, & decentium: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax &c.* Expende, quomodo sancti Angeli intuentes, & obstupefcentes filium Dei sic amore hominum humiliatum, Diuinam maiestatem ob diuinissimum hoc Incarnationis mysterium, quod præ omnibus alijs admirandis operibus infinitam eius gloriam & magnificentiam luculentissimè manifestat, cœlesti hac symphonia collaudent & glorificant hominibus de tam inæstimabili beneficio bonisq; inde in eos deriuādis con-

D 4 gau-

gaudeant; pastores ad quærendum re-
cens natum Meū amant; simulque
nos instruant, quid nobis, pro quibus
Christus natus, agendum sit, videlicet,
Deum pro tanto infinitæ suæ in nos
charitatis monumento glorificandum,
pro tanta gratia gratias illi referandas,
pacem, quam è cœlo in terras attulit,
esse nobis omni studio quærendam &
conseruandam, pacem, inquam, tripli-
cem cum Deo, per studium conscientie
puritatis; nobiscum ipsis, per praxin
mortificationis; cum proximis, per ex-
ercitium fraternæ dilectionis. Deinde
quanta reuerentia, quanta deuotione &
exultatione in recessu, ut credibile est,
præsepe inuiserint, diuinumque illum
hymnum suauissimo concentu repeti-
uerint, quam incredibili B. Virginis, &
S. Iosephi gaudio & mentis excessu? O
si intellectu & affectu, lingua & vita
hunc Angelicum hymnum iugiter con-
cinere satageres, quam suauiter aures
militantis simul & triumphantis curiæ,
imò ipsius diuinæ Maiestatis demulce-
res? Gratitudo, zelus gloriae Dei,
& charitas pro-
ximi.

De